

278 TH. BARTHOLINI
tenuis guttæ ploratu, lanis p. c. i. c.
Certo autem artificis temperamento inciditur, non sponte sudoris instar, sed; eodem *Plinio* & *Solino* teste, vitro, lapide, offeisque cultellis; quod confirmat *Tacitus* lib. 5. Hist. *Ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venæ: fragmine lapidis, aut testâ aperiuntur.* Posterioris ordinis sunt arbores quotquot succo aliquo seu pice seu resina manant. De quibus *Plinius* lib. 14. cap. 20. & illæ quæ in Calabria manna, gummi in morem, sive sponte, sive incisæ proferunt: de qua est vera *Gabrielis Fallopii* lib. de Medic. simplic. purgat. cap. 37. conjectura, & *Io. Nardii* de Melle, quibus lucem dederat *Altimarus*, quum mannam diceret esse succum arboris (Orni scilicet, vel Fraxini) benignitate aëris concretum, quanquam & in foliis Calabrinis ros cœlestis colligatur Ciceris formâ & magnitudine, sed id rarius. De metallis superstitio veterum prodidit & statuis marmoreis, ligneisque sinistro inprimis.